

EPISTOLA.

Hos omnes , ut brevi dixerim , & viciſſi verbo
& convicisti exemplo , quia apud eos Evangelium
Tuum non fuit in sermone tantum , sed & in virtute ,
& in spiritu sancto , & in plenitudine multa : ita
ut jam non Oves inter Lupos misere convivant , sed
Lupis in Oves sancte commutatis Tuus mirum in mo-
dum Grex evaserit numerosior , & in unanimitate
tam efflorescente compositus , ut ambigatur an major
fiducia , gloriatio , superabundantia gaudii sit Pas-
toris apud Gregem , an Gregis apud Pastorem : an
Grex Pastor , an Pastor Gregi sit carior ac pretiosior .

At quam in primis Aginni , ubi Tua sedet Au-
thoritas , carum ac pretiosum sit nomen Tuum , non
dico : dixerim tamen præclaræ ac lauta Urbis illius ,
quæ de murorum suorum antiquitate , de irriguitate
tractuum & situum amænitate , de suorum Incolarum
nobilitate ac venustate cum omnibus jure contenderet .
Proceres & Cives universos in Te esse propensissimos &
unam eorum esse vocem erumpentem continuo in applau-
sus , jubilationes ac deprecationes assiduas pro diutur-
nitate Tui regiminis . Tum ut olim Tolosates , jamsunt
anni plusquam quadringenti , in Antistite suo Hugone
gloriantur , sic Aginnenses in suo Julio ejusdem Gen-
tis & cognominis ferè superbiunt suspicientes sapien-
tiā Tanti Antenati in Tanto Abnepote glorioſissimè
consummatam .

Hanc gratulatoriam vocem attollunt quoquot sunt